

- 158 A cum lignis, // tunc dominus vel domina talium animalium
currus vel barche incontinenti solvere debeat comuni penam,
quam solvere debuisset persona sic fugiens vel que haberi vel
cognosci non potuisset. ¶ Et si dominus vel domina talium
animalium currus vel barche non cognosceretur seu non posset 5
haberi, tunc predicta animalia curus cum bobus vel equo et
barcha vendantur incontinenti per procuratorem comunis
usque ad integram solutionem pene, ad quam non cognitus
vel fugiens incurssisset secundum formam statuti Tergesti.
¶ Salvo quod, si appareret aliquam personam concessisse vel 10
dedisse ad noulum ex talibus animalibus curu vel barcha, dicta
talis persona concedens vel eius res sic concesse non cadant
ad aliquam penam, sed persona cui talis res concessa fuerit
ad naulum solvere debeat penam secundum formam statuti
Tergesti. ¶ Et saltarii custodes silvarum et secreti et illi de 15
centum electi debeant et teneantur acusare contrafatientes,
quas acusas facere debeant domino potestati vel eius vicario
ea die vel sequenti qua invenerint personas contrafatientes,
et eis adhibeatur plena fides cum sacramento, et habeant ter-
tiam partem condemnationum factarum ex suis acussis; et 20
si non fecerint ea die vel sequenti dictas acusas, ut supra
dictum est, ab inde in antea acuse eorum facte sint ipso iure
nullius valoris, nec preiudicare possint acusatis. ¶ Sed hoc
158 B presenti statuto non obstante licitum sit // unicuique civi vel
habitatori Tergesti incidere ligna in maxari[i]s et circa maxa- 25
r[i]as et coronas et prope rivos vinearum et canporum suorum,
qui sive que non essent penes farnecta venas vel silvas comunis.
¶ Et exceptis personis que pastinarent suas silvas, quibus lici-
tum sit (incidere) in dictis silvis quas pastinabunt incidere ligna
sine aliqua pena. ¶ Insuper iudices civitatis qui pro tempore fue- 30
runt teneantur et debeant omni die mittere personas fide dignas
ad ianuas civitatis Tergesti, que persone ibidem facere¹⁾ debeant
et videre omnia ligna que conducentur in civitatem Tergesti,
et si dictis personis sic missis videretur aliquam personam
conducere ligna ex aliquibus locis vetatis, tunc talis persona 35

¹⁾ Stat. 1365: *stare*.